



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **MAGNA QUIDEM** TEMPLUM BEATAE MARIAE VIRGINI  
DICATUM ET ID IN  
CASTRO FLORIANI MUTINENSIS INTRA IPSIUS MUTINENSEM DIOECESIM  
SITUM AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS ATTOLLITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Magna quidem afficimur laetitia cum animum Nostrum ad innumeros fideles referamus, qui decursu annorum hic illic per pulchra excitarunt aedificia eademque pietatis tanquam certum indicem caelesti Matri dicarunt. Nec miramur igitur in oppido, quod ibidem incolae Castrum Floriani Mutinensis vocant, exstisset quondam praecellaram aedem Beatae Virginis Castri sub titulo. Templum hoc praeteritis temporibus variis venustisque artificiis certatim ornarunt Christifideles, ut animum suum significant et in Deiparam studium. Prudentes scientesque idcirco et libentes quidem Venerabilis Fratris Sancti Bartholomaei Quadri, Archiepiscopi Mutinensis-Nonantulani, precibus occurrentum existimavimus, qui profecto suo nomine suorumque pariter fidelium efflagitaverat ut sacra aedes, quam supra memoravimus quaeque intra ipsius dioecesis est fines, in Basilicarum Minorum numero recenseretur. Itaque ea confirmantes quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, a Nobis videlicet factis quondam facultatibus, statuit et deliberavit, Apostolica Nostra usi potentate, templum illud quod diximus ad dignitatem statumque evehimus Basilicae Minoris, additis similiter iuribus et privilegiis ad id genus pertinentibus aedes. Serventur exinde quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» praescribit, die VI mensis Iunii editum, anno MCMLXVIII. Contrariis rebus minime obstantibus quibusvis. Haud exigua tandem Nos tenet apes christianarum virtutum ubiorem segetem hoc in loco messum iri, iniuncta hac dignitate, si quidem fideles, incidente CCCL anno postquam hoc Mariale Sanctuarium constitutum est, ardentius ad augustae Matris cultum incitabuntur eiusdemque ad aedem frequentius trahentur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Septembris anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana

---